



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Galeoti Martii Narniensis De Homine Libri Dvo

Galeottus <Martius>

Basileae, 1517

Renes

urn:nbn:de:hbz:466:1-31834

cognominatum. Lien ita plerunq; intumescit, ut cingere hominem uideatur. & humore pariter subcutaneo & scedo anhelitu afficere. Plautus in Curculione. Nam quasi zona liene cinctus ambulo. geminos in uentre habere uideor filios. nihil metuo, nisi medius disrumpar miser. A liene Lienosus, qui morbo lienis laborat, certa deriuatione formatur. Plinius septimo, De Pyrrho cuius pedis pollex lienosis medebatur, Hoc a latino. Et a splene quod græcum diximus, qui eodem morbo uexatur, spleneticus fit. Plinius uigesimo, folia decocta spleneticis in cibo data. Spleneticis sinistrum latus dolet. intumescit enim splen, & stomachum non sine dolore humectat. Liene uulneribus exempto animalia uiuere, & eundem in dorso impedimento esse affirmat, Plinius. Vnde ioco dictum uidetur illud Plauti in Curculione, cum lenoni dicenti, Lien disructus est, respondit Palinurus seruus, Ambula id lieni optimum est. Septem sunt intra hominem, quæ a Græcis nigra membra uocantur, ut ait Macrobius. Et lingua, corde, pulmone, iecore, liene, enumeratis, deniq; & renes duo referuntur. de quibus ordo exposcit, ut aliquid dicamus.

Lienosus

Splenicus.

Nigra membra.

RENES

RENES dicti sunt teste Varrone, quia in eis sunt reni humoris obsceni. Ab ipsis enim ad medullam spinæ, quam semē uiri dicunt, sunt uia, per quas humor obscenis, id est, semen ad colem usq; delabitur. Et sunt duo, qui lumbis sub imis coxis adherent, ut uerbo Cornelij utar. Situs eorum & forma patet, nam in unoquoq; animante in adipe immerguntur, ab

u 2 ea parte

Renum
uentriculi.

ea parte qua coxis adhærent resumi; ab alia uero retundi,
Eorum cauernulæ sicuti in cæteris uentres uocant, siue uen-
triculi. Sunt autem uenosi & tunicati, obsceni seminis por-
tam, ut ita loquar, tenentes, lumbisq; adiuncti, ut diximus.
hinc illud Persianum,

Sumam delumbe salua.

Itemq;

Cum carmina lumbum

Intrant.

Vtrumq; de libidine dicitur, Et sancti uiri dicere non erobe-
scunt, Vre igne sancti spiritus renes nostros, timetes ipsius
ueneris uiolentiam, Sed horum morbus q̄ grauis sit, testa-
tur Horatius in primo epistolarum,

Si latus & renes morbo tententur acuto

Quære fugam morbi.

Nephre-
tici.

Et qui huiusmodi morbo afficiantur, a Græcis nephretici
nuncupantur, & a renibus nomen accipiunt, νεφρον enim re-
nem nuncupant. Et hoc nomine etiam appellantur, qui circa
uesicam patiuntur. His igitur absolutis, ad alia reuertantur,
quæ fuerant omissa ut ordo seruetur.

STOMACHVS

Stoma-
chus.



STOMACHVS est fistula per quã cibus descen-
dit, sed ponitur pro uentriculo, id est, receptacu-
lo ciborũ. Est enim stomachus principium in-
testinorum, de natura sui neruosus, a spinæ uer-
tebra incipiens, circa præcordia cum uentriculo connexus.
Quapropter nõ mirum est, quod superius dictum est, præ-
cordia interdum pro ore stomachi sumi, quandoquidem
ex uicinitate datur occasio. & (ut iam diximus) pro toto uen-
triculo sæpenumero ponitur. Iuuenalis,

Si stomachus